



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Fran. Lucas Brugensis n. 9

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

di, qui fœdus suum cum sua vnica Catholica Ecclesia nunquam poterit obliuisci.

*Omnia  
Ignatij, &  
suorū stu-  
dia ad con-  
seruandam,  
& multi-  
plicandam  
fidem spe-  
ctant.*

7. A IOANNE MOLANO *Notis ad Martyrologium Vsuar-  
di ad diem Vltimum Iulij de B. P. N. Ignatio inquit.* Omnia  
enim eius Consilia, & studia spectabant ad conseruandam,  
reuocandam, & multiplicandam perse, & suos fidei Catho-  
licæ sinceritatem. *Hæc ille in citata Apologia pro scientia Media  
Par. 2. num. 85.*

*Societas  
militans  
sub Nomine  
IESV ad  
occurren-  
dum Calui-  
nistis.*

8. A RENATO BENEDICTO *Doctore Sorbonico in expe-  
ditione Epistolæ Missæ de Circumcisione Domini :* Diuina (*inquit*)  
prouidentia videtur Instituta Societas militans sub Nomine  
IESV ad occurrendum Calvinistis, qui vt tollant à Christo Di-  
uinitatem, non IESVM Christum appellant; vt mos antiquis-  
simus est, vel IESVM, sed tantum Christum. *Ex cuius verbis  
habemus, & Sodalitatem nostram militantem esse, & Calvinistarum  
in appellando Salvatore, deprauatæ consuetudini facere medicinam.  
Ita apud Nigron. in Reg. Soc. Tit. Par. 3. n. 48.*

*Excitata à  
Deo tan-  
quam Mu-  
rus contra  
hæreses in  
veteri Orbe.*

9. A FRAN. LVCA BRVGENSE *Decano Audomarensi Tomo  
4. in Euangelia, Epistola nuncupatoria ad R. P. Mutium Vitelleschum  
Societatis IESV Generalem.* Societatem (*inquit*) à Deo excita-  
tam, vt in vetere quidem Orbeam tanquam Murum oppo-  
neret nascentibus Hæresibus : in nouo autem Orbe eâ vtere-  
tur ad prædicandum Euangelium suum. *Hæc ille in Apologia  
citata pro scientia Media Par. 2. & n. 85. citatis.*

*Et in nouo  
ad prædi-  
candum E-  
uangelium.*

*Ignatius  
antidotum  
contra Lu-  
theri vena-  
num.*

10. A FRANCISCO MONTANO *In Apologia contra Anto-  
nium Arnaldum cap. 64.* Nostro (*inquit*) tempore vt viri sapien-  
tes obseruarunt, & maxime Dominus Genebrardus Archie-  
piscopus Aquensis, cum Dominus permisisset spargi vena-  
num, mox etiam antidotum dedit; Martinus Lutherus ab  
Ecclesia discessit, vt Ecclesiam impugnaret, Ignatius de Lo-  
yola ex mundo recessit, vt mundum debellaret: vterque ab  
Ecclesia initio renatus, & genitus in iisdem visceribus, & qui-  
dem eodem tempore, vt gemini Esau & Iacob, Lutherus vt  
Esau factus grandior à Dæmone instructus, & impulsus est,

*Vtriusque  
mira anti-  
thesis.*

vt